

9K.3,8.

Xa  
3892

BERNHARDVS ASCANIVS

DVX SAXONIAE

VARIJ GENERIS OBSERVATIONIBVS

ILLVSTRATVS

ILL. I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CATHEDRA-  
LIS ECCLESIAE NVMBURG. CANONICO SVPREMAE IN PRO-  
VINCIA CVRIAE ET COLLEGII I. CTORVM ACADEMICI  
ASSESSORE PANDECTARVM PROFESSORE  
ORDINARIO

A. D. III. IVNII A. MDCCCLXXXIII

H. L. Q. C.

AD DISPVTANDVM PROPOSVIT

CHRISTIANVS GOTTLOB HEYNIVS

VALDEMIO - MISNICVS

LIPSI AE

EX OFFICINA LOEPERIA



BERNHARDVS ASCANIVS

DE SAXONIA

AVVM GENERICIS ONSERVATIONIBVS

ILLI I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

TRAVSIT

IOH. THEOPHILVS SEGERO

IVRS SCIENTIAS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR CAEDRA

IVRS SCIENTIAS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR CAEDRA

IVRS SCIENTIAS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR CAEDRA



A. D. 1711



CHRISTIANVS

AVVM GENERICIS ONSERVATIONIBVS

LIPSIAN

EX ORIGINARIA LIPSIANA



EXCELLENTISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO  
DOMINO  
DOMINO GEORGIO REINHARDO

S. R. IMPERII COMITI

A WALLWITZ

DYNASTAE IN SCHWEICKERSHAYN, VVIESA, SCHMORKA ET  
IGELAVIA

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE  
COMITI CONSISTORIANO SANCTIORIS SENATVS RERVV PRIVA-  
TARVM PRAESIDI ORDINIS PALATINI LEONIS EQVITI

PATRONO INDVLGENTISSIMO

D. D. D

CHRISTIANVS GOTTLOB HEYNIVS.

EXCELLENTISSIMO ATOVE ILVATISSIMO

D O M I N O

DOMINO GEORGIO REINHARDO

S R IMPERII COMITI

A W A L L W I T Z

DYNASTIE IN SCHWABENSTADT, FRIEDL, SCHMORZ ET  
1021/1022

ERUCHINI ET FORSTIUM PARCELIS ERUCHINIS SAKONAS  
COMITIS CONSISTORII ET RECTORIS RECTORIS SAKONIS  
L. ANNO 1021/1022

PATRONO INDULGENTISSIMO

a d d

CHRISTIANUS GOTTLIEB HEINZ



**Q**uae magna felicitatis meae pars est, **DOMINE**,  
ut mihi non diu diuinandum esset ac deliberan-  
dum, cui hunc libellum veteri more dicarem et  
tanquam patrono tutelari offerrem, fecit singularis **TVA**  
aduersus patrem meum indulgentia et liberalitas, quae  
tanta est, ut eius ornandi causa etiam ad filium ipsius uni-  
cum, in quo ille omnem suam spem posuisset, porrigatur.  
Etenim de studiis meis ad rem siue publicam siue civilem  
prudenter et salubriter transferendis sollicito **TVA**,  
**ILLVSTRIS-SIME COMES**, auctoritas ultro subue-  
nit dubitanti quae comiter monstrauit viam. Quam tanto  
confidentius licet inire, quanto spectatior est tum excellen-  
tia **TVAE** dignitatis et nostram olim, quin plurimorum  
fortunam stabiliendi potestas, tum erga bonos omnes, qui  
aut litteras aut ciuilia negotia diligenter et strenue  
tractant, voluntas. Hi vero quemadmodum in **TE** ha-  
bent illustre exemplum virtutis et grauitatis, cum et dies

et noctes publicae salutis impendens et Principis ac patriae rationes priuatis TVIS rebus atque etiam valetudine TVA longe priores putes, ita patrocinio TVO tutela que indignissimi forent, nisi ad honestam studiorum contentio- nem se tanquam igne supposito accensos et inflammatos in omnibus rebus ostenderent. Equidem hoc unum polliceor, quemcunque etiam locum olim mihi concesserit vel fors vel gratia TVA, cum magnitudinem meritorum TVORVM in mea tenuitate assequi non possim, profecto hoc acere studium de re publica bene merendi, quo tam praeclare excellis, me diligentissime esse imitaturum. Quod si in hanc conditionem me inter clientes TVOS recipere non dedignaris, faciam, ut TVI, DOMINE, patrocinii TE nunquam poeniteat. Atque ita non tam libelli, qui paruulam historiae Saxonicae partem, nec ita felicia tempora, ut sunt a Deo per FRIDERICVM AVGVSTVM data et dantur, nec parem Amicorum Principis sapientiam refert, quam mei ipsius tutelam TE obsecro, illo que studiorum et pietatis meae teste ac sponsore me totum TVAE clientelae addico. Seruet TE Deus rei publicae, quam egregie administras, totam que Domum TVAM splendidissimam, atque huius praecipuum ornamentum, Filium TVVM, iter honoris feliciter iam ingressum, bonis omnibus iubeat abundare. Scripse Lipsiae d. xx. Maii an. CIOHCCLXXXIII

Ratio



Coroll. II. rationibus, quibus duo ducatus habere  
 possunt, eos quatuor testibus MONACHO VAININGRANSI (de  
 Gese. h. v. cap. 1.) atque HERMOLDO (lib. I. cap. 4.) Hen-  
 rici non regnum in Ducatu aut Saxonia cedere voluit  
 volentem duo, ut utroque duceret, proleptice, iam illi  
 commendavit. De materia tamen Albeni origine tantum  
 caussa alibi ab eo ductis in Saxonia dignitas in Bern-  
 harto dicitur.

*Ratio instituti*

**Q**ui titulum libelli nostri inspicient, forte *Romulum*,  
*Nunam Pompilium*, *Tullum Hostilium* GEORGII CHRIS-  
 TIANI GEBAVERI *observationibus varii generis illustratos* recor-  
 dabuntur. Huius ad exemplum Duces Saxoniae e domo  
 Ascania, qui quidem huic superiori Saxoniae cum potestate  
 Imperatores eligendi praesuerunt, ita commentari aggre-  
 dior, ut in singulis varia, quae tum publici, tum privati  
 iuris ergo notatu maxime digna videantur, obseruem. Nec  
 dubito, quin argumenti dignitatem gravitatemque proba-  
 turi sint viri docti, id veritus, ne artem ac doctrinam  
 scriptoris desiderent. Sed quibus nota est honorum libro-  
 rum de Ducibus istis Saxoniae Anhaltinis penuria, illi has  
 etiam symbolas non omnino aspernabuntur.

Cur

*Cur ab Alberto Vrfo non fiat exordium.*

Incipimus a Bernhardo, Alberti Vrfo Marchionis Soltuedelensis filio, non ab ipso Alberto. Hic enim quanquam ante Bernhardum Dux Saxonum a Conrado III. appellatus est Ducatum tamen nec diu nec quiete retinuit. Caeterum Conradi III. ratiunculam, quod nemo duo ducatus habere possit, ob quam testibus MONACHO VVEINGARTENSI (*de Guelf. Princ.* cap. 13.) atque HELMOLDO (lib. I. cap. 54.) Henricum magnanimum aut Bauaria aut Saxonia cedere voluit nolentem que, vt vtroque priuaretur, proscripsit, iam alii contuderunt. De materna autem Alberti origine tanquam causa affectatae ab eo ducalis in Saxonia dignitatis in Bernhardo dicemus.

*Quo iure Bernhardus Ducatum adeptus sit.*

Igitur Bernhardus, quem, quia certe iam duo ejusdem nominis Duces Hermanni Billingi filium et nepotem Saxonia coluerat, tertium numeres, quo iure hunc Ducatum adeptus sit, disquirendum est. Video enim plerosque iniuriam Henrico Leoni factam recarguere, cui omnes norunt Bernhardum in Saxonia successisse. Quam quidem accusationem ita instituunt, vt primum sceleris criminibus oppressum Leonem, deinde ne legitimo quidem iudicio damnatum dicant. Equidem crimina Henrico obiecta dilui potuisse largiar, quamquam graue est, quod Imperatoris mandata in bello Langobardico exequi detrectauit, nec precibus vel

ad



ad pedes iacentis locum concessit. Sed iustas se excusandi causas allegasse videtur, qui teste ARNOLDO LVBECENSI (lib. II. cap. 15.) praetendebat, se multis laboribus et expeditionibus tam Italicis, quam etiam aliis innumeris, utpote iam senem, (quae verba Principis tum nondum quinquagenarii de senectute ante annos capio) defecisse et omni deuotione imperatoriae maiestati se obsecuturum affirmabat in auro et argenteo caeteris que impensis ad exercitum contrahendum, sed omnia salua gratia ipse in persona propria venire posse negabat. Quis enim nescit, quot et a tempore et a loco, nedum a valetudine excusationes praefici vasalli habuerint? Nec moror contrarias de hac obstinatione Henrici narrationes, quas ECCARDVS collegit *Origg. Guelf.* tom. III. lib. VII. §. 68. et GIOVANNI *German. princ. a VNSTERV ALDIO illustratam* lib. III. p. 466. Quod si etiam Goslarum pro huius militiae stipendio postulauit, id quod ORTO DE S. BLASIO cap. 23. refert, aut, quod VSPERGENSIS habet, ab Imperatore Alexandriam obsidente recessit, non ego quidem audeo, vel istam cupiditatem nimis laudare, seu argumentis inidoneis factum est in *Origg. Guelf.* tom. III. lib. VII. §. 68. not. ppp., vel in tempestiuum obsessa Alexandria reditum omni reprehensione eximere; nec tamen vtrumque iustis rationibus defendi atque excusari non potuisse contendo, praesertim cum Leo, si vel ipse vel miles eius an. 1174. Alexandria rediit, profecto post pacem Alexandrinis usque ad terminum Maii mensis indultam redierit. Quo tempore imperator, teste GODOFREDO COLONIENSI partem militum repatriare permisit, opulentioribus secum retentis; mox, recrudescente bello, noua a Germanis auxilia poscens. Itaque ista forte opportunitate vsus Henricus Friderici ingratis. Nam et nuperi in Saxonia tumultus, et Imperatoris iniusta cum Guelfo patruo Henrici pactio de

B

eius

eius omnibus bonis, et vero etiam apud ipsos Saxones acta, ut urbes et terra imperatori traderentur, si forte ex terra sancta non rediret Henricus, poterant Ducem commonefacere, ne nouis periculis caput inuolueret, et iustam excusationem a militia apud aequos iudices ipsi parare. Sane quod l. l. not. qqq. GRVBERVVS scripsit, Leonem Imperatori ad istam expeditionem Langobardicam suum exercitum obtulisse, laudato Arnoldi Lubecensis testimonio non approbatur. De solis impensis ad exercitum contrahendum, nempe de hostenditiis, ibi mentio. Quae, imperatore inuito, quicquid etiam contra dicant, valentes a militia non liberarunt. Absentes enim sine causa ab exercitu beneficiarios feudis suis multari posse non ambiguum est, eum que morem securo Friderico I., cum Italiam ingressus mense Nouembri 1156. in campo Roncaliae militem iustraret, non solum laicorum feuda, sed et quorundam Episcoporum, veluti Haruici Bremensis et Ulrichi Halberstadensis Regalia abiudicata fuisse, OTTO FRISINGENSIS testatur. (*de gestis Friderici I. lib. II. c. 12.*) De Henrico quidem, quod omne auxilium obstinato animo ei negauerit, Imperatorem conquestum esse, ipse ARNOLDVS non dissimulat. Sed in solenni diplomate, quo Philippo Coloniensi Archipraefuli partem ducatus Vestfaliae et Angariae Fridericus I. concessit, etiam multiplicem contemptam Imperatoris atque euidentem reatum maiestatis inter capita accusationis memoratum legimus, quod forte, quanquam aliter sentio, ad conspirationem Ducis cum hostibus Imperii alia que perduellionis crimina, obiecta quidem, sed non demonstrata, pertineat. Non vero his demonstrationibus eget causa Bernhardi. Etenim non ob crimina, quae confessus aut quorum ita coniectus esset, ut argumenta aduersariorum infirmari non potuissent, sed ob contumaciam in iudicio fugiendo dam-

damnatus est Leo. En ipsa verba Imperatoris in diplomate laudato: (ap. GELENIVM de admiranda magnitudine Coloniae Agrippinae p. 73. et Origg. Guelf. tom. III. lib. VIII. p. 108) proinde tam praesentium, quam futurorum Imperii fidelium noverit univcrsitas, qualiter Henricus quondam Dux Bavariae et Vvestphaliae, eor, quod ecclesiarum Dei et Nobilium Imperii libertatem, possessiones eorum occupando et iura eorum immi- nuendo, grauitcr oppresserit, ex instanti Principum querimonia et Nobilium plurimorum (quae actio vtrum confirmari, an legitima defensione retundi potuerit, in medio relinquimus) quia citatione vocatus Maiestati nostrae praesentari contempserit, et pro hac contumacia proscriptionis nostrae incidit sententiam: deinde quia in ecclesias Dei et Principum et Nobilium iura grassari non destiterit, tam pro illorum iniuria, quam pro multiplici con- temtu Nobis exhibito, ac praecipue pro evidenti reatu maiestatis et sub feodali iure, legitimo trino edicto ad Nostram citatus audientiam, eo quod se absentasset, nec aliquem pro se misisset responsalem, contumax iudicatus est, ac proinde tam Ducatus Bavariae, quam Vvestphaliae et Angariae, quam etiam uni- uersa, quae ab imperio tenuerit, beneficia per unanimum Prin- cipum sententiam in solempni Curia Virzburg celebrata, ei ab- iudicata sunt nostro que iuri addicta. Dedimus integrum lo- cum, vt banni primi atque vltioris distincta mentio appa- reret. Nam proscripito in Curia Goslariense Henrico vt noua dies Hermipoli diceretur, non aequitatis et liberalita- tis simulatione, sed iuris et iudiciariae legis necessitate factum: verbo Goslariae bannum primum, Herbipoli, quo- niam proximo anno cum accusatoribus non transgisset, neque laesis satisfecisset, quin iterum iudicium subterfugif- set Henricus, bannum vltius decretum esse opinor. Sane ARNOLDVS hanc quartam Curiam adhuc rogatu Principum mubnon

Henrico Duci esse indictam discrete commemorat. In ea  
 vero de nihil admissum, quod cum legibus eius aetatis iu-  
 dicialiis non conveniret: quarum *de banno contumaciae*  
 sanctiones tum alii exposuerunt, tum nuper eleganti libello  
 consultissimus ERNESTVS FRIDERICVS FLORENS CHLADENIVS.  
 Per responsalem etiam, id est, procuratorem causam orari  
 atque non praesente reo contumaciae poenam auerti potuisse  
 intelligitur. Quam ob causam, fateor, mihi saepe non qui-  
 dem suspecta, sed miratione aliqua digna visa est haec Hen-  
 ricus Leonis obstinatio, qui, cum et Imperatoris et Principum  
 animos penitus introspiceret, legitimas contumaciae poe-  
 nas in se prouocare omnium minime debuisset. Nam fa-  
 cile animaduersu est, hanc vnam veram causam damnationis,  
 caeteras, tanquam capita accusationis, et in his etiam vio-  
 lationem pacis publicae, et persecutionem ecclesiarum at-  
 que nobilium, qui Leonem postulauissent, deinde horum  
 nouas actiones in Herbipolensi iudicio, contemptum vero Im-  
 peratoris et reatum maiestatis, (nisi contumaciae nomina  
 sunt) quamuis delictum grauius, quod seriba verbo *praeci-  
 pue* subintellexisse videtur, tamen tanquam istarum actionum  
 duntaxat accessiones, quas Imperator in priuato colloquio  
 ante conuentum Goslariensem cum Duce Aldestebiae ha-  
 bito pro quinque millibus marcarum remittere destinauerat,  
 commemorari. Equidem quam constanter Henricus affirma-  
 uerit, *se de Suecia oriundum et nullum profuxione danmari  
 posse, non conuictum in terra natiuitatis suae*, (ARNOLDVS  
 LVBECK. l. l.) et quid in vniuersum de huius iudicii ratione et  
 forma de que iudicum personis SCHERZIVS (doctissi. com-  
 ment. *de Friderici II. imperatoris iudicio de Henrico Leone*)  
 ECCARDVS Orig. *Guelph.* Tom. III. lib. VIII. §. 83. atque alii  
 viri cordati statuerint, non ignoro. Verum animum mouan-  
 nondum

nondum inducere possum, vt vel in ipsa Saxonia de feudis  
 Saxonie, de quibus maxime actum esse in proscriptione  
 Henrici omnes consentiunt, vel de omni actione contra  
 Henricum intentata in vnaquaque Germaniae parte legitimum  
 iudicium haberi non potuisse, statuum. In vniuer-  
 sum non liquet, moribus eius aevi aut antiquioribus etiam  
 temporibus obtinuisse apud Germanos, vt de nemine vel  
 proscribendo vel multando praeterquam in terra suae ori-  
 ginis agi et iudicari debuerit. Priuata quidem iudicia in loco  
 terrarum vel praediorum, de quibus lis esset, ideo acta,  
 vt ciues iuris, lex quo res dirimenda, periti cognoscerent,  
 Quapropter de Saxonica hereditate in Sueuiae, de Sueuica  
 in Saxoniae partibus priuatum iudicium constituere eo tem-  
 pore, quo Caesares omnes imperii regiones inuisere et  
 vbiuis contentus et fora agere sueti essent, vix icuile fuis-  
 set. Idem vero de publicis iudiciis affirmare non ausim,  
 nec afferunt aduersarii certa atque omni exceptione maiora  
 vel legum vel rerum testimonia. Fuerunt etiam, CONRADO  
 VRSPERGENSI notante in *vita Friderici I.* p. 226, in conuen-  
 tu Herbipolensi quidam Principes et barones, qui fauore  
 Ducis contenderent, ita ius esse, vt Imperator Ducem con-  
 demnare non possit, vel terras Ducis abiudicare, nisi intra  
 terras Ducis placitum statueret. His vero nobilis quidam  
 iudicium duelli proposuit, quo contra quemlibet secum  
 pugnare volentem probaturus esset, quod Imperator quem-  
 libet Principem posset euocare pro iustitia ad locum, quemcum-  
 que veller, intra terminos sui Imperii existentem. Vnde  
 forte colligere liceat, aliter de Principum, aliter de media-  
 torum euocationibus sensum esse. Nam in mediatos ipsi  
 Duces plenam potestatem habuerunt. Quicquid sit, cum  
 nemo se ad depugnandum offerret, nobilis istius viri sen-  
 tentia,

tentia, quam laudauimus, teste eodem *VRSPERGENSI*, *Cae-*  
*faream* perpetui iuris auctoritatem obtinuit. Caeterum *fau-*  
*torum Ducis* in conuentu *Virceburgensi* atque ipsius *Leonis*  
 exceptio utique eundem sensum habuisse videtur. Etenim,  
 nisi me omnia fallunt, *Henrici* in reiiciendo iudicio *Vir-*  
*ceburgico* mens haec fuit, propter bonorum suorum in  
 diuersis regionibus multitudinem, quorum omnium amissionem  
 allatura esset proscriptio, de se proscribendo non alibi, praeterquam  
 in generali foro suae originis quaeri atque decerni de-  
 bere: verum autem consilium, amouendi a nouo iudicio *Prin-*  
*cipes*, quos maxime sibi infestos haberet, successuris in  
 locum eorum *Sueuis*, quorum valde interfit, potentiam tanti  
*Ducis* non omnino deprimi, quem solum *Hohenstaufia* domus  
 in *Sueuia* suis opibus praeualens reformidet. Sed *Principes*  
 etiam, qui *Herbipoli* *Leoni* fauerent, (*Zolleranos* inprimis et  
*Veringenses* suspicatur *Eccardus*) nihil praeter mutationem iu-  
 dicium et iudicii dilationem voluerunt. Vtrum ab istis cupi-  
 tis iudicibus certa salutis spes fuerit, alii decernant. Sane  
 super *Ottone* *Bauariae* duce *Henricum III. Imp. Saxoniae*  
*Principes* non tantum, quod ex his oriundus esset, sed propter  
 ea etiam, quod hi propter priuatas inimicitias maxime inui-  
 sum eum haberent, sententiam rogauisse *LAMBERTVS SCHARNA-*  
*BVRGENSIS* ad an. 1070. testatur, et quam forealem illi senten-  
 tiam dixerint, omnes norunt. Quam ob eausiam etiam in hoc  
 exemplo, quo vulgo ad probationem consuetudinis a *Leone* al-  
 legatae uti solent, parum praesidii est. Si qui in ipsa saltem  
*Saxonia*, non *Virceburgi*, iudicium de *Henrico* habendum  
 fuisse statuunt, cogitent bannum primum *Goslariae* decre-  
 tum, cum ad *Curiam* non venisset *Henricus*, nihil que  
*Virceburgi*, nisi ex *Goslariense* sententia, factum. Expresse  
*ARNOLDVS LVBEI*, (ad an. 1124.) non is in *Henricum* iniurius:

quay.

*quartam, inquit, curiam adhuc rogata Principum ei indixit*  
 (Imperator). *Ad quam cum non venisset, fecit, ut superius*  
*ex sententia Principum instructus erat, et Bernhardum Comi-*  
*tem de Anhalt pro eo Ducem constituit et Episcopis, ut*  
*sua reciperent, quae in beneficio habuerant, mandat et*  
*bona eius publicari praecipit.* Reus igitur sine crimine, sine  
 culpa factus sit Leo; profecto ob contumaciam iure damna-  
 tus est. Nam quod SCHERZIVS scripsit *l. l. cap. II. sect. 2.*  
 Leoni in hoc iudicio non rei, sed ipsius actoris personam im-  
 poni debuisse, neque omnino approbari potest, neque, si  
 potuisset, contumaci tanquam exceptio non opposita pro-  
 fuisset. Ipse Henricus, quamvis aegre ferret, *se praecipue,*  
 ut verbis ARNOLDI II. 24. utar, *ad audientiam citari respon-*  
*surum querimoniis Principum,* tamen hac exceptione contra  
 sententiam postea latam non usus est. Quin ex hoc ARNOL-  
 DI loco discitur, non Imperatorem, sed Principes duntaxat  
 in hoc iudicio partes actorum egisse. Quam ob rem LENZVSI  
*Hist. Anhalt. geneal. p. 142.* in codicillis Philippo Colonien-  
 si datis *multiplicem contemptum Imperatoris atque euidens reatum*  
*maiestatis non perduellionis crimen Henrico obiectum, sed*  
*solam eius in non comparendo contumaciam interpretatur.*  
 Quam certe explicationem commendat cum vetus in-  
 scriptio *legis Salicae de despectionibus* (apud ECCARDVM de lege  
*Salica cap. LIX. p. 161.*) tum lex Baiuuariorum II. 9. (in LIN-  
 DENBROGII *Cod. leg. antiqu. p. 406.*) his verbis: *Si quis dux de pro-*  
*vincia illa, quam rex ordinaverit, tam audax, aut contumax,*  
*aut leuitate stimulat, seu proteruus et elatus, vel superbus*  
*atque rebellus fuerit, qui decretum regis contemserit, donata*  
*dignitatis ducalis careat, etiam et insuper spem supernae con-*  
*templationis sciat se esse condemnatum et vim salutis amittat.*  
 Nam haec cumulata superbiae, rebellionis, contemptus verba  
 omnia  
 vnam

vnam solam contumaciam in non parendo citationibus regis describere erudite ostendit consultissimus CHLADENVIS noster laudata elegantissima disp. *de banno contumaciae* §. II. Quicquid eius rei sit, liquet ex his, quae extra dubitationem posita esse putamus, iure damnatum esse Henricum et beneficiis suis multatum, eam que ob causam tum Imperatorem ea nouis vasallis distribuere, tum Bernhardum inprimis Saxoniae Ducatum accipere potuisse absque injuria. Nec dubito fore nonnullos, quibus haec disputatio vel superuacanea videatur. Qui tamen si legerint aliorum scriptorum praesertim quorundam Brunsvicensium de casu Leonis sententias, desinent operam nostram vituperare.

## III

*Quibus rationibus ductus Fridericus I. Imp. Bernhardum Saxoniae Ducem creauerit?*

Vidimus de iure Bernhardi Ducatum Saxoniae acquirendi. Nec difficile est causas cognoscere, quae Fridericum I. Imperatorem ad eum Afcanio conferendum mouerunt. Quamuis enim ea aetate maiora imperii beneficia vix in filios, nedum in filias aut natos ex filiabus Germanici iuris necessitate translata nouerimus, mihi que ad filiorum et agnatorum successionem magis firmandam iuris demum Langobardici frequentior usus, cui ipse Fridericus I. patrocinaretur, vasis plurimum profuisse videatur, saepe tamen, ne de agnatis dicam, nati ex filiabus auorum maiorum que feuda precibus impetrauerunt. Taedet e tanto numero, qui etiam nonnullos seduxit, vt feuda nostri imperii vel plane, vel transmissione saltem feminina olim fuisse contra veritatem statuerent, eius rei exempla in vulgus nota commemorare.

Ratio



Ratio autem huius liberalitatis, praeter auiti decoris merito-  
rumque paternorum gratam memoriam et splendas maiorum  
imagines, reuerentiam nouo uasallo et prona populi obsequia  
conciliaturas, interdum etiam ipsam heredis uirtutem  
magnis in regem meritis spectatam, inprimis haec fuit, quod  
Ducum atque Comitum dignitas saepe maiori, quam qui ex  
beneficio rediret, sumtu sustinenda esset, saepe defuncti he-  
redia et uacua feuda tot nodis sibi inuicem implicata et nexa,  
tot uinculis coniuncta atque constricta reperirentur, ut do-  
minus lites ex separatione oriundas metueret, non nun-  
quam etiam ipsius heredis minacem cupiditatem, nisi dato  
feudo restingueretur, suae saluti publicae que tranquilli-  
tati periculosam iudicaret. Ut uasallorum patrimonia ipsius  
feudis quasi implicarentur, magnae in militiam impentiae et  
crebrae coemtionones fecerunt. Nam et iura cum beneficio  
non data, sed uel ipsi domino seruata uel alii constituta at-  
que quaesita, et uero etiam praedia a minoribus, quibus  
praecesset uasallus, redimebantur. Quibus praediis siue mi-  
noribus herediis sua pecunia coemtis, aut feudis etiam,  
emto hereditariis numis dominio directo, in heredia muta-  
tis, si ad uasallos suae domui comparandos forte uisi essent  
uasalli, proprii et beneficiarii iuris non potuit fere non fieri  
summa commixtio et confusio. Equis uero ortas inde  
difficultates siue separandorum feudorum atque herediorum,  
siue etiam heredum tam opulenti uasalli de possessione feudi  
depellendorum, me non monente, intelligat? Haec omnia  
ante etiam, quam feuda hereditaria haberentur, ut facile  
agnato, facillime natis auita et paterna feuda domini redderent,  
effecerunt. Praeter ea ad successionem filii commen-  
dandam et suadendam accessit ipsa utilitatis et feudi dextre  
administrandi ratio, ad quam illum paterna disciplina insti-  
tuisset:

C

tuisset:

tuisset. Saepe etiam populi et imprimis procerum provinciae voluntas, qui olim docente STRVBENIO *Obs. iur. et hist. Germ.* IV. l. 2. MICH. CONRADO CVRATIO, V. C. prol. *de ducum mediæ aevi electione a proceribus provinciae suae facta* et FISCHERO viro longe doctissimo nobis que carissimo, in *historia despotismi in Germania* p. 86, sqq. vel electionem ducum suorum sibi commisit, ecclesiarum que et monasteriorum a defuncto conditorum ac dotatorum vel minae vel preces aliquid valuere. Quarum omnium rerum haud obscura vestigia, sed exempla clarissima, ne aliunde petere opus sit, in Billingis harum que per filias magni Ducis augusta propagine, Guelfis atque Ascaniis intuemur. Postquam enim ab Hermanno Billingo ad Magnum vsque Ducem Saxoniae, cum quo stirps mascula Billingorum exaruit, hic Ducatus in ea domo, continuauerat, initio quidem nec filiae eius, Vulfhildis atque Eilica siue Eulalia, nec generi natorum aut nasciturorum ex iis caussa successerunt, sed datus est Ducatus Lothario Supplinburgensi, manifesto indicio libertatis, qua in conferendis feudis Henricus V. imperator vsus est, et vanitatis eorum, qui ante Fridericum l. tempora ea hereditaria et vel ipsi filiarum propagini debita statuerunt. Lothario autem ad regiam atque imperatoriam dignitatem euecto Henricus superbus, quem alii meliori vocabulo magnanimum vocant, Magni ex Vulfhilde, Henrico Nigro Duci Bauaro nupta, nepos, cui etiam Gertrudis, Lotharii et Richenzae, diuitis huius Nordhemiarum et Brunsvicensium ditionum heredis, filiae matrimonium prodesset, eum obtinuit. Quo proscripito Albertus Vrsus, Marchio Brandeburgicus, quem Otto diues ex Eilica Magni, vltimi Billingorum, filia susceperat, an. 1139. eundem adeptus est cum veri ducis Henrici contra ius fas que exauctorati iniuria, et quasi hanc fortuna auerfaretur, sine vlllo suae felicitatis

tatis

tatis incremento. Neque haec possessio eius duravit. Nam  
 ut de Henrici superbi in Saxonia victoriis, et quam fortiter,  
 mortuo eo, iuniorum Leonem atque Saxoniam *totius Saxo-*  
*niae Ducissa* (Orig. Guelf. tom. II. p. 358. et 549. seqq.) Ger-  
 trudis, Henrici Leonis mater, tuita sit, nihil dicam, an  
 1742. Albertus ipsum Ducis Saxoniae nomen, quod per bre-  
 ues annos sine vi gesserat, agnito a Caesare et Principibus in  
 Francofurtenfi conuentu iure Henrici, tantum non vltro  
 deposuit. Quod vero Annalista Saxo commemorat, Adal-  
 bertum *anito beneficii iure eundem Ducatum ante, quam a*  
*Conrado III. eum obtinisset, vindicauisse, Henricum Du-*  
*cem Bauariae pro desponsatione filiae Lotharii imperatoris*  
*eum a Lothario accepisse, id aemulam quidem Henrici at-*  
*que Alberti ambitionem Ducatus, quem Lotharius Impera-*  
*tor factus more eius temporis alii nobili viro conferre de-*  
*beret, et vero etiam Alberti argumentationem causantis,*  
*se non minus, atque Henricum, a Magno Duce descendere,*  
*ideoque eius, quam Henrici, ut pote qui ducatu Ba-*  
*uariae iam ornatus sit, potiore rationem habendam esse,*  
*ostendit; necessitatem autem Ducis Saxoniae ex Billingorum*  
*prosapia eligendi, tantum abest, ut probet, ut potius affini-*  
*tatem Henrici generi sui, apud Imperatorem plus valuisse,*  
*quam vtriusque, Henrici, inquam, atque Alberti cum Bil-*  
*lingis emortuis coniunctionem demonstrat. Cum tamen*  
*ex causis supra indicatis aliquando nati ex filiabus, tanquam*  
*patrimoniorum heredes, caeteris Ducatum candidatis prae-*  
*lati fuissent; quapropter etiam Lotharii petitionem, praeter*  
*eius in Saxonici ditionibus opes atque alias causas, materni*  
*generis ab Henrico I. rege ducti memoria post mortem Magni,*  
*vltime Billingorum, forte adiuuit; ecce statim post huius*  
*Caesaris sepulturam ortae sunt, ut HELMOLDI verbis utar,*

lib. I. cap. 54. *seditiones inter Henricum regis generum et Albertum Marchionem contendendum propter Ducatum Saxoniae, quae illum memoratum exitum habuerunt, ut Conradus rex in solium regni leuatus, iniustum esse perhibens, quemquam Principem duos tenere ducatus, Adalbertum in ducatu firmare niteretur.* Redditae quidem rationis calumniam docte repressit ECCARDVS *Origg. Guelf.* Tom. II. p. 354. Nec fortuna Alberti in ducatu Saxoniae firmiter stetit, quam ratio. Quod vero ille exequi adeo nequiuerat, ut OTTO FRISINGENSIS *Chron.* VII. 26. in commemoratione bellorum cum Henrico magnanimo inde ortorum ne Ducem quidem Albertum, sed *Marchionem Duci in Saxonia rebellantem appellauerit*, id tandem, Henrici Leonis calamitate in suam utilitatem versa, Bernhardus perfecit. Quis vero in hoc eligendo originem eius cum iure patris quantumuis amisso inprimis spectatam esse non videat? Istitis enim natalibus debebat Bernhardus materna que hereditate acceperat Albertus Vrsus ea in Angria et Vuestphalia bona, quae ESTOR doctissima diatribe (*warum der Kaiser Friedrich I. bey der Abt Heinrichs des Loewen auf Bernharden Grafen von Ascanien gefallen sey?* in eius *neuen kleinen Schriften* Tom. II. n. XXX. p. 495) tanquam primariam causam suffecti in Leonis locum Bernhardi commemorauit. Sane ut ex multis Alberti filiis Bernhardus deligeretur, tum hae ipsae in Vestphalis et Angris opes, ad eum, quod in posteris eius, eorundem possessoribus, cernitur, paterna hereditate delatae Imperatorem mouerunt: tum Bernhardi Henrico infensus animus suasisit. Etenim paulo ante horum Principum amicitia olim culta in iras et flammam se verterat ictum que Bernhardi foedus cum Vdalrico Halberstadtensi Episcopo tam male habuerat Leonem, ut in eum inprimis iniurias proximi belli anno 1175. gesti contulisse videretur.

Audi

Audi CHRONOGRAPHVM SAXONEM: *Henricus Dux cum valido exercitu Bodam flumen transiens et Groningae initium depopulationis faciens ad iniuriam Bernhardi Comitis omnia igne domat, inter quae et famosum oppidum Ascerleue conflagrat. Lapideas vero structuras impulsionibus quassat, quassatas diruit et subuertit.* Praeter ea Imperatoris interfuisse videtur, ne Ducem potentio-rem crearet, qualis Otto frater Bernhardi, Marchio Brandeburgicus, futurus fuisset. Nam ad minuendam Ducum Saxoniorum potentiam etiam diuisio Ducatus inter Ascanium et Coloniensem atque tot exemptiones clientum et ciuitatum adhibitae. Sane veritum Imperatorem, ne contra Conradi III. ratiunculas Marchioni Brandeburgensi geminos ducatus conferret, suspicabitur nemo, qui Albertum Vrsum in ea ipsa cum Henrico superbo controuersia toties, quoties vel a Lothario vel a Conrado Ducatum Saxoniae peteret, neutiquam se ducem, sed Marchionem professum esse reminiscatur. Sed haec Bernhardi felicitas, quod potentibus amicitiiis, cognationibus affinitatibus que floureret, de quibus BECMANNVS *Histor. Anhalt.* p.V. p. 59. LENZIUS l. I. cap. III. ECCARDVS *Hist. geneal. Princip. Sax. super.* alii que conferri possunt, sine dubio considerata est. Nam et Otto Marchio Brandenburgicus, et Sigfridus, Archiepiscopus Bremensis cum caeteris Bernhardi fratribus, et vero etiam sororis, omnium hodiernorum Saxoniae Ducum parentis, coniux, diues ille ac potens Marchio Misniae Otto, in occupando tuendo que Ducatu mirifice eum iuuare poterunt, et reapse iuuerunt. Sigfridus quidem, cui ipse Henricus Leo, tum propter se, tum propter fratrem, Bernhardum nostrum, (quia tunc, ut ARNOLDVS II. 13. prodit, amicissimi erant, postea alienati ab inimicem inimicissimi) paullo ante ad Pontificatum Bremensem multis modis promouerat, anno 1180. in iisdem Gelnhusae comitiis,

mittis, in quibus dux nouus Saxoniae Bernhardus deuotè confirmatus, vt coram legatis Apostolicis a Brandenburgica sede ad Bremensem transferretur, obtinuit. CHRON. MONTIS SERENI ad. h. a. Praeter ea omnia vero non dubitandum est, quin Bernardi propria virtus atque auctoritas in eo eligendo spectata sit. Ipse ARNOLDVS LVBEK. III. l. in eo loco, vbi eius in Ducatu segnitiam et tarditatem atque tranquillitatem nimium criminatè, eundem prius in comitiò pestum strenuissimum fratrum sororum, et ab imperio honoratum fuisse fatetur. Generosum etiam Principis animum, nec quærentem bella, sed propellentem, in ipso Ducatu bene, quanquam non prospere, administrato res ipsae aperuerunt. Quod pacis, si honestis conditionibus haberi posset, nosor non esset, nam omnes mansuetudinem eius commemorant, in laude ponunt. Forte hoc ipsum studium et erga Fridericum voluntas spectata est in controuersia Ploense, in qua non inter imperatorem atque Bernardum, cuius patrimonium ille exigeret, sed inter imperatorem et huius tum Comitis fratres grauem dissensionem exortam esse ait Chronographus Saxo ad an. 1171. Quæ vero de Ducis nostri fortitudine et moderatione Principum suae ætatis existimatio fuerit, ipsi, etiam mortuo Friderico, suis precibus, vt regnum capefferet, declarauerunt. Quod ille quidem modeste deprecatus est, et, vt PHILIPPVS, Friderici successor, Papae Innocentio III. scripsit, (in registro de negotiis imperii n. 136.) cum, sicut vir prudens et circumspectus, videret hoc non posse fieri sine pecunie suae maxima effusione, se subtraxit eis ingeniose. Non tamen Bernardi opes ita fuerunt contemptibiles, vt multis visae sunt et videntur. Nam praeter partem Billungiae hereditatis etiam terras Anhaltinas et prouinciam, quam hodie Circulum Saxoniae nostrae Electoralem vocamus, carnis Alberti

etiam  
80  
Vrsi

Vrſi Slaus ereptam Flandrorumque coloniis feliciffime repletam, ex huius patris ſui bonis acceperat. De quarum omnium poſſeſſione cum hiftoriae eius temporis, tum diplomata Bernhardi paſſim a BECMANNO l. l. atque aliis viris doctis in publicum edita SCHOETGENIO que in *inuentario diplomatico hiftoriae Saxoniae ſuperioris* laudata teſtantur.

## V.

*Inauguratio Bernhardi.*

Tameſi vero exauctoratio Henrici Virceburgi, vbi Fridericus I. an. 1179. natalem Domini celebrauit, decreta ibidem que Bernhardus conſenſu Principum Dux Saxoniae nominatus fit, nihilo minus inauguratio eius ſiue inueſtitura vere demum anni 1180. Gelnhuſae celebrata videtur. Vbi auctore CHRONOGRAPHO. MONTIS SERENI, cum quo ALBERTVS STADENSIS ET GODOFREDVS COLONIENSIS conſentiunt, *Imperator curiam habuit ante paſcha XIII. noctes et Bernhar- do comiti ducatus Saxoniae ex omnium Principum ſententia ad- iudicatus eſt, circa orientalem partem fluminis Viſera; ducatum vero ad occidentalem plagam eiusdem fluminis in Veſtſalia Coloniensis episcopus obtinuit.* Nempe cum nec omnes, nec iidem ſemper Proceres in curiis ſolennibus Imperatorum adeffent, res tanti momenti, quanti exauctoratio Henrici, partitiſio ducatus Saxoniae et nouorum Ducum creatio faepius propoſita, vt ſenſim omnium, aut plerorumque certe Optimatum conſenſu firmaretur. Sed de diuiſione et formula conceſſi tum Ducatus Saxoniae de que parte eius Bernhar- do collata, quae in ſeriniis, noſtris annotata ſunt, alio tempore proferemus.

HVMA.

## HYMANISSIMO ET DOCTISSIMO DEFENSORI

S. P. D.

P R A E S E S

**S**i quis unquam ex auditoribus meis mihi carus fuit; iuro autem per Deum Fidium, me omnes, qui litteras gnauiter tractant, tanquam cor meum amare; profecto ego, mi HEYNI, TE tum propter PATREM TVVM, virum summe reuerendum, quem Deus ecclesiae et TIBI diuissime seruet, tum propter auum maternum, cuius eruditionem et merita etiam post fata veneror, tum vero etiam propter TVI ingenii dotes et praeclaram animi indolem ab exordio statim huius academicae, in quam TE ante aliquot annos contulisti, disciplinae ita dilexi, vt et salutem TVAM ardentissime cuperem, et huius beniuolentiae causa TE semper in oculis haberem. Non possum igitur TIBI verbis exprimere, quantam ex studiis TVIS voluptatem capiam; quam haec indefessa diligentia atque industria literis abs TE praeslitata atque TVA optimarum artium doctrina et historiarum iuris que tum publici, tum privati scientia animum meum vehementer delectet. Videtur haec Heiniorum, quos noui, fors esse atque felicitas, vt omnes et ingenio valeatis et studiorum elegantiam quasi natura impellente sequamini. Quantum enim decus et quantum praesidium litterarum habet in gentili TVO Georgia Augusta! Hunc TV et venerabilem PATREM TVVM imitare, et hac disputatione, cuius me socium esse voluit TVA PATRIS que TVI beneuolentia, publice peracta caeteris que Tuae doctrinae legitimis speciminibus editis confer omnia TVA studia ad patriae communem vtilitatem. Scripsi Lipsiae d. xxiiii. Maii an. MDCCCLXXXIII

ULB Halle  
002 167 905

3







Farbkarte #13

B.I.G.

QK 3, 8.

Xa  
3892

BERNHARDVS ASCANIVS

DVX SAXONIAE

VARIJ GENERIS OBSERVATIONIBVS

ILLVSTRATVS

ILL. I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE CATHEDRA-  
LIS ECCLESIAE NVMBURG. CANONICO SVPREMAE IN PRO-  
VINCIA CVRIAE ET COLLEGII I. CTORVM ACADEMICI  
ASSESSORE PANDECTARVM PROFESSORE  
ORDINARIO

A. D. III. IVNII A. CIOICCLXXXIII

H. L. Q. C.

AD DISPVTANDVM PROPOSVIT

CHRISTIANVS GOTTLOB HEYNIVS

VALDEMIO - MISNICVS

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA

